19

Præſtite Jeſu Archiatro!

ΥΣΤΕΡΥΔΕΡΙΑΣΙΣ

Sive

UTERI HYDROPS,

DISPUTATIONE INAUGURALI REPRÆSENTATUS,

Conſenſu & Authoritate

Magnifici & Gratioſi Senatus Aſclepiadei in Illuſtri ad SALAM *Academia,*

SUB PRÆSIDIO

VIRI

NOBILISSIMI, EXCELLENTISSIMI & EXPERIENTISSIMI

DN. JOHANNIS ARNOLDI FRIDERICI, Phil. & Med. Doct. Anatom. Chirurg. & Botanic. Prof. Publ. longè celeberrimi, Medici Provincialis Sereniſſimi Principis Saxo-Altenburgici ſpectatiſſimi,

Dn. Patroni, Præceptoris ac Promotoris ſubmiſsô honoris & obſervantiæ cultu devenerandi,

PRO LICENTIA

Summos in arte Medicâ honores, Privilegia atque Inſignia Doctoralia, more majorum legitimè ac ſolenniter impetrandi,

publicæ Eruditorum cenſuræ ſubmiſſus

à

M. JOHANNE HEINRICO LAURENTIO, Wratislavienſi.

IN ACROATERIO MAJORI

ad diem VI. Auguſti, horis ante & poſt meridianis conſvetis.

JENÆ, Typis JOHANNIS NISI, MDCLXIX.

A.Ω.

PRÆLOQVIUM.

TOties miſericordiâ capior, fœmineæ ſortis quoties recordor, & morboſæ ejus conditionis: deploranda humana omnia ad millia morborum quæ huic eveniunt. Primordia generationis ſuæ, qualitatum, & inde contracti nativi temperamenti manca quis non videt, quis non deprehendit mutila, dirisque ac infinitis penè ægritudinibus referta! Organa lactationi, conceptioni & generationi dicata, quæ non patiuntur adverſa! Videre hoc contingit in ſolo utero, mirando microcoſmici corporis domicilio: quantis ille, & quam diris excarnificatur morbis, tentatur & moleſtatur ſymptomatibus: ut præſtantiſſimorum medicorum iugenia vel ſolâ varietate, ne dicam difficultate, hactenus xercuerit. Dudum animadvertiſſe hanc morborum varietatem, & ſymptomatum atrocitatem *Divinum de Coo ſenem*, vel ex eô patet loco, *quando lib. de loc. in homine*, inquit: τὰ γυναικεῖα νοσήματα τὰ καλεόμενα αἱ ὑστέραι, πάντων τῶν νοσημάτων αἰτίαι. Quadrant hûc eleganter docti *Helmontii* verba, qui mulierem bis omnem pati morbum aſſerit: illam etenim non tantùm ut hominem, corruptam naturam, & corpus fragile habentem cunctas cum viro pœnas ſuſtinere & communes habere; verum etiam ob uterum, qui animal in animali, â Platone animal furioſum in varios furores ſe ipſum concitans,

tantas tamque ſtupendas ærumnas perferre cogitur, ut in conſenſum non raro totus trahatur microcoſmus.

Legimus in ſacris de univerſali macrocoſmici corporis diluvio, deque miſeriis & ærumnis, quas ſecum advexerit. Proh dolor! experimur & hodienum in microcoſmo diluvia ærumnoſa & miſeriarum plena. Crudelitatem ſuam in totum quandoque corpus humanum exercet ſeroſi illius & aquoſi humoris diluvium, & adeò exuperat, ut vel ex eô interitum totus patiatur microcoſmus. In diſtinctas quoque humani corporis partes & regiones, easque nobiliores ſævire ſeroſam hanc aquarum colluviem quotidiana evincunt exempla, docet idem, τῆς ὑγιείας πατὴρ *Hippocrates*, & ſolers medicorum experientia. Suus enim capiti hydrops, pulmoni ſuus, non rarò & utero, variis inſuper cruciatibus afflicto, quô variæ virginum & muliercularum reſultant querelæ; quædam enim melancholiam & furorem, ſtrangulationem aliæ & aſcenſum, reliquæ inflationem & tumorem, aliæ denique alium gemitu luctuque exaggerant affectum. Adeò miſerè afflictam, & inſidioſa humorum ſcatebrâ quotidie divexatam homo videt patriam! Oceanum videt, uterum dum contemplatur: ut enim ad illum aquarum omnium contingit confluxus; ſic ad hunc humorum omnium & impuritatum impetus defertur.

De hoc humorum impetu, diluvio ſcil. uterino, ut raro ſic gravi affectu, meisque humeris planè impari, loco diſputationis inauguralis verba facere mecum conſtitui: idque methodo ROLFINCIANA, ſcholis noſtris recepta.

Tu verò inexhauſta Sapientia, dirige conatus; fac ſapiamus, fac vera loquamur!

CAPUT

Caput I.

Nominis rationem habet.

MOnitum laude vetuſtatis illuſtre illud *Epicteti eſt Tom. I. diſſert. Arrian. c. 17.* Ἀρχὴ τῆς παιδεύσεως ἡ τῶν ὀνομάτων ἐπίσκεψις. Cognito enim nominum uſu, rerum notitia feliciter ſequitur: accurata namque vocum interpretatio ſenſum non tantum parit genuinum, ſed ipſarum potiſſimum rerum intelligentiam aperit.

Ut itaque & nobis aperiat, præmittere placuit definitionũ πραγματώδει ὀνοματώδην, quæ tribus abſolvitur: ὁμωνυμίᾳ, συνωνυμίᾳ καὶ παρωνυμίᾳ.

A ΠΑΡΩΝΥΜΙ'Α ſ. nominum derivatione ordimur, præſentemque affectum *hydropem uteri* ſalutamus.

Derivant veteris Græciæ authores vocabulum Hydrops ἀπὸ τοῦ ὕδατος καὶ ὠπὸς, aqua ſcilicet & facie; poſt conjunxêre & unum conſtituere vocabulum ὕδρωψ, quaſi dicas ὑδερικὴ ὦψ, aquoſa facies: quoniam plerumque floridus & vividus faciei color in lividum & cadaveroſum convertitur.

Notanter *plerumque* adjicitur; cum viva hæc colorum mutatio in fœdam omnibus non contingat, *annotante Sennerto lib. 4. de morb. mulier. part. 1. ſect. 2. c. 11.* nam hydrope uterino laborantes ut plurimum bonum faciei colorem retinent, niſi forſan Hepar ſimul afficiatur.

Uteri hydrops dicitur ἀπὸ τοῦ βεβλαμμένου μορίου, læſa ſcil. parte, & membro principaliter affecto *Utero*, qui

Latinis Uter & *Uterus*, ab utre: quia cavus eſt impletur ac depletur. Quibusdam hæc vox origine græca videtur, ab Æolico ὕπερος, ut ſit quaſi ὁ ἕτερος, alter venter: quæ conjectura accuratiſſimi *Scaligeri eſt l. 3. hiſtor. animal. c. 2. text. 22.*

Matrix dicitur ideò, quod matris vices gerat in conſervando fœtu; partim, quod ex ipſa omnia animantia velut à matre oriantur; partim denique quia matres facit: absque illa enim ſi eſſent, nunquam fierent matres.

Vulva aliis, quaſi dicas valva, quod valvam æmuletur; quæ tamen vocis ſignificatio potius de utero ſuillo acceptanda, an-

 notan-

notante *Gerardo Blaſio in comment. ad Syntagm. anatom. Veſling. c. 7.*

Ovum Epicuro. Ut enim illud ante animal, ita uterus ante conceptum.

Faviſſa divina, & alterum animal ſubtilitatum magiſtro *Scaligero exercit. 131. §. 4.*

Græci itidem varias agnoſcunt denominationes, familiares ſunt

Ὑστέρα, quæ vox in monumentis Divini Senis paſſim legitur, & idem ſignificat quod ultima & infima pars, eò quod inter partes imi ventris infimum locum occupet.

Τῆς μήτρας vocabulum apud eundem occurrit *5. aphor. 62.*

Ἄγγος *6. τῶν ἐπιδημιῶν* legitur; quamvis Galenus dicat, hanc appellationem non ſapere phraſin Hippocratis, nec ullam eſſe hujus appellationis ingenioſam rationem & cauſam; cum τὸ ἀγγεῖον cujuscunque ferè generis vas notet.

Δελφὺς apud *Philoſophum 3. hiſt. animal. c. 2.*

ὉΜΩΝΥΜΙ'Α, errorum genetrix enodanda venit, omnisque difficultas quæ circa nomen occurrere ſolet, abigenda.

Sciendum, nos hic ſub nomine Hydropis ἁπλῶς καὶ γενικῶς conſiderato, omnem hydropem in genere, & accumulationem ſeroſi & aquoſi humoris totius corporis non intelligere: quo lato vocis ſignificatu *Divinum Senem* uſum fuiſſe legimus *l. de loc. in homin. n. 9.* ubi carnes hydrope plenas eſſe aſſerit.

Sed εἰδικῶς καὶ μετὰ προσθήκης, & cum ſpeciali denominatione & appoſitione partis affectæ.

Dari autem particulares hujusmodi hydropis ſpecies, *Divinus Senex in Coac. prænot. 2. item 4. de morb.* & *Aretæus* prolixe docent: confirmat hoc idem quotidiana practicorum experientia.

Sic *capiti* peculiaris eſt tumor aquoſus ὑδροκέφαλος dictus, quemadmodum hoc teſtantur *Hippocr. 2. de morb. Paulus Æginet. l. 6. c. 3. Fabric. Hildan. cent. 1. obſ. chirurg. 12. centur. 3. obſ. 19.*

Suum inſuper *pulmones* agnoſcunt hydropem, quem obſervatum expreſſerunt *Cous 2. de morb. Hercul. Saxon. lib. 2. medic. pract. c. 1. Carol. Piſo l. de morb. ex ſeroſa colluvie obſ. 51.*

Suus

Suus quoque ὑδρόμφαλος eſt umbilico, ſcroto ſuus; cujus meminit *Smetius lib. 10. miſc. med. p. 572. Barthol. cent. 3. hiſt. 64.*

Tandem & ſuo *Uterus* vexatur ὑδέρῳ: hunc enim in mulieribus non raró tumere aquarum copiâ oſtendit *Hippocr. 4. de morb. & lib. περὶ γυναικείων. Ætius lib. 4. ſerm. 4. c. 79. Avicenn. 24. tert. tr. 4. c. 25. Fabric. Hildan. cent. 2. obſ. 56.* hic eſt, quem in præſenti intendimus.

ΣΥΝΩΝΥΜΙ'Α, multifariam apud authores audit.

Græcis nominatur ὕδρωψ, ὑδρώπισις ὑστερικὴ, ὕδερος ὑστερικὸς, nobis ὑστερυδεργίασις, quandoque σωενδοχικῶς ὕδωρ.

Latini Græcas appellationes civitate Romana donarunt; ut hodienum ipſis dicatur hydrops uteri. *Celſo lib. 3. de re med. c. 21.* morbus hydropicus uteri; ſeu ut ex *Priſciano Gentilis* interpretatur aquoſa paſſio. Magis adæquatè à *Cicerone & Plauto* exprimitur aqua intercus. *Avicennas l. ſupra c.* aquam in matrice appellat.

Q. Sereno lib. de re medicâ c. 26. lympha audit, quando ſcitè canit:

Tum lympha interius vitio gliſcente tumeſcit,
ſecernens miſeram propriô de viſcere pellem.

Paracelſo, novitatum Patrono, in *Comment. ad lib. 4.* Undimia: fortean ab unda deducto vocabulo, vel ut alii volunt, undis & undenis, aëriis hominibus, terreniſque ſpiritibus.

Chimicis, liquor reſolutus, aqua reſoluta.

Germanis die Waſſerſucht der Mutter.

CAPUT II
realem affectus definitionem format, genusque explicat.

PRæmiſſis iis, quæ ad nominis evolutionem ſpectare videbantur: methodo ſic exigente, ad definitionem πραγματώδη accedimus, talemque erogamus.

Hydrops uteri, eſt tumor p. n., à colluvie vitioſorum humorum, aquoſorum cumprimis & flatulentorum, in cavitate uterinâ & membranarum interſtitiis collectorum, dependens.

Ratio-

RATIONEM FORMALEM conſtituimus οἴδημα παρὰ φύσιν, tumorem p. n. locum ſibi vendicantem inter morbos organicos auctæ magnitudinis, ad quam propriè omnes referuntur tumores & partium p. n. incrementa. Quando diximus, tumores propriè ad auctam magnitudinem referri, non excludimus reliqua morborum genera, ſed cum *Nicolao Florent. l.5. oper. Fallop.* & aliis ſtatuimus, omnia tria morborum genera hic concurrere licet magnitudo prævaleat, propter quod ipſum prudenter cum *Conciliatore Petro Apponenſi, & Alberto Bononienſe Gvido Cauliac.* decernit, tumorem eſſe morbum compoſitum ex triplici genere, in unam magnitudinem aggregatum. Hæc ſi ſe habent, nullus tumor ſine ſolutione continui exiſtit, quæ præcipuè in ſtatu præſenti inter membranas uteri contingit.

Notanter in definitione adjecimus *Tumorem præter naturam*, ut diſcernatur ab illo tumorum genere, ſecundum naturæ leges qui oriuntur.

Non enim omnis tumor; nec excreſcentia quævis; nec omne etiam vel partis vel totius augmentum tumor præt. nat. dici poteſt, quod evidenter patet in obeſis, qui ultra naturalem & alias conſvetum corporis habitum in latum & profundum creſcunt, absque tamen evidenti actionum læſione. Multo minus illæ, quibus venter tempore geſtationis & graviditatis in majorem excreſcit molem tumore p. n. laborare dicuntur; Cum ſingula hæc ſecundum naturam & naturæ leges fiant.

Requiritur itaque ad tumorem p. n. ut non tantum ſenſibiliter magnitudo augeatur; ſed etiam, ut notabilis partium & actionum læſio accedat, cum ſenſus doloris perceptione: hæc enim accidentia affectus præternaturales plerumque concomitari ſolent.

Hydrops igitur uteri cum ſit tumor p. n. ſub quonam genere rerum præternaturalium comprehendatur, indagandum eſt.

Galenus lib. de ſympt. differ. c. 4. omnes hydropis ſpecies ſymptomatibus annumerat, nempe ad actiones læſas facultatis concoctricis; ſangvinis ſcil. generatione, vel planè non facta; vel non ritè peracta.

Alii ſymptoma eſſe perhibent, intemperiei morbum inſequens.

Ve-

Verum quis non videt intemperiem in tumore ſe tantum habere ut cauſam tumoris, morbum inducentem: quæ quatenus ad tumoris generationem concurrit, non lædit primariò actiones, adeoque ut morbus conſiderari nequit.

Qui verò morborum claſſi aſſociant, primario & per ſe actiones partis lædi, ſtatuunt. Ideò *Galenus lib. de tum. p. n. cap. 16. tumorem dicit morbum, in quo membra diſcedunt ab eo, quod eſt ſecundum naturam in magnitudine.*

Sentiat in hoc negotio, quod quisque velit.

Mihi cum *Galeno* & aliis probatiſſimis authoribus ſtatuere placet, tumorem uterinum eſſe morbum in auctâ magnitudine; ſymptoma verò & morboſam diſpoſitionem, quatenus fructus prægreſſi alicujus morbi eſt, in epate, liene, aut aliunde exorti.

Similiter etiam dubie explicatur, cujusnam generis morbus ſit tumor?

Ad Intemperiei morbos cum *Pergameno Hieronymus Capivaccius* & *Fabricius ab Aquapendente* confugiunt, quod alii facile concedunt.

An verò ſolius Intemperiei morbus ſit, à multis dubitatur? nec ſemper idem docuit Galenus: Nam *libr. de different. morb. c. 3. & cauſ. morb. c. 6.* inter intemperies & ſimilarium partium morbos recenſet. Aſt *1. de cauſ. ſympt. c. 2.* ad morbos refert organicos & diſſimilarium partium: & ita nunc ſimilarium, nunc diſſimilarium genus agnoſcit.

Alii cum *Euſtachio Rudio* tumores ex auctâ magnitudine & intemperie componunt, atque hæc duo cujuslibet tumoris formam eſſe aſſerunt; nec malè: non enim in genere tumores quoscunque accipiunt, quales non raro inteſtinum prolapſum, aut oſſea ſubſtantia excitare poteſt: ſed eos in ſpecie, qui à fluxu humorum & vaporum proſurgunt. Et hi non tantum ad morbos compoſitos ex magnitudine auctâ, vitioſâ figurâ, ſolutâ unitate; verum etiam ad intemperiei morbos referuntur, adeoque hujus reſpectu tàm ſimilaribus, quàm diſſimilaribus competere, quamvis uni propius & ſtrictiùs, alteri remotiùs ac latiùs, docuit *in prælect. publ. de tumorib. Excellentiſſ. Dn. D. Præſes, Patronus & Promotor ſubmiſsè colendus, Præceptor perpetuâ gratitudine proſequendus.*

 Nos

Nos hic tumorem uteri in ſpecie conſiderantes, compoſitum eſſe morbum exiſtimamus, primariò quidem ex auctâ magnitudine; ſecundario ex intemperie & ſolutâ unitate.

Illa verò Uteri intemperies è variâ enaſcitur materiâ, *pituitâ, ſero* & *flatibus*; quæ an complicatè agat, an ſolitariè, dubitare quis poſſet.

Nos minimè contradicendi animo, humores prædictos æqualiter & conjunctâ vi in omni individuo vix poſſe concurrere ſtatuimus.

Quippe alius hydrops ab humoribus in utero deliteſcentibus exoritur, alius à flatibus; alius, qui humores ſimul & flatus conjunctos habet.

Nec caret exemplis noſtra aſſertio;

Prioris generis obſervatione dignum annotavit *Veſalius l. 5. corpor. human. fabric. c. 9.* de quadam muliere Auguſtanâ, in cujus uteri cavitate ſeroſæ materiæ ſupra ſexaginta auguſtæ menſuræ repertæ fuêre, nullibi, quoad reliqua viſcera aquâ præſente.

Poſterioris generis apud *Sennert. l. 4. de morb. mulier. part. 1. ſect. 2. c. 10.* videre licet: deſumptum ex *Valeſci de Tarantal. 6. c. 15.* qui Ulyſſiponæ Judæam quandam viderit, quæ ſe prægnantem eſſe crediderit; dum verò tempus partus adeſſe videretur, & matrix ab obſtetricibus tractaretur, loco partus magna flatuum copia ſine ullo alio liquore excludebatur.

Notandum, cum jam flatuum in utero facta fuerit mentio, non omnem tumorem à flatibus, hydropem uterinum dicendum eſſe: contingit enim non raro, ut uterus flatibus ſubitò irruentibus infletur, dolorque intenſus excitetur, quemadmodum hoc inteſtinis in paſſione colicâ accidere ſolet: taliſmodi inflatio, ſi non ad tempus perſeveret, ſed brevi diſcutiatur, hydrops dici non meretur.

Caput III
ſubjectum indagat.

Cum vero morbus in numerum accidentium veniat, accidens autem per ſe ſubſiſtere nequeat, neceſſe, materiam in qua, ſeu Subjectum, cui inhæreat, habeat.

Du-

Duplex autem Inhæſionis ſtatuitur, *Quod* & *Quo*.

Subjectum Ut Quod ſ. denominationis totum microcoſmicum compoſitum ſexus ſequioris eſt, includens ſimul in ſuâ ſubſtantiâ operationes & facultates animæ tàm vegetativæ, quàm ſenſitivæ medicas: has toto vel parte p. n. affecto ſimul compati nemo dubitat.

Subjectum ut Quo ſ. πρῶτον δεκτικὸν & immediatum eſt Uterus, cùm ratione cavitatis, tùm ratione ſubſtantiæ & membranarum.

De *Cavitate Uteri* inter magni nominis Medicos dubitatio exoritur: plurimi enim hærent, quomodo flatus & ſeroſi humores in cavitate uterinâ coërceri poſſint, cum illis facilis pateat exitus & continuus effluxus per ejus orificium; inſuper ſerum & flatus perpetuo fluere & moveri aſſerunt, adeoque vero minus eſſe conſentaneum, in uteri cavo ita manifeſtè aperto hos contineri poſſe.

Mercurialis lib. 4. de morb. mulier. c. 17. veriſſimum eſſe exiſtimat, nullo prorſus modo aquam in utero colligi poſſe, niſi prius os uteri clauſum ſit, vel vitio alicujus morbi, vel propter conceptum.

Mercuriali aſſenſum præbet *Rodericus à Caſtro lib. 2. de morb. mulier. c. 19.* ita autem ille: *In uteri capacitate verò aquam colligi poſſe crediderim, cum ejus oſtium ſit pervium, per quod foras ſaltem per intervalla transcolari poteſt, niſi forte ab effectu præt. nat. ſit obturatum.*

Alii cum *Ætio* hanc difficultatem animadvertentes, diffluens hoc ſerum non in ipsâ uteri cavitate, ſed intra veſiculas quasdam, quæ in ſubſtantiâ uteri ex hujusmodi materiâ irrumpente excitatæ fuerunt, contineri exiſtimant. atque hoc eſt quod *Ætius* ſcribit *tetr. 4. ſerm. 4. c. 79.* corpuſcula quædam veſicæ fellis ſimillima in utero generari, in quibus aquoſus humor colligitur.

Approbant hanc opinionem, qui hujus rei exempla viderunt.

Mauritius Cordæus comment. in lib. 1. Hippocr. de morb. mulier. notabilem refert hiſtoriam mulieris, hydrope uteri laboran-

tis, in cujus cadavere veſiculæ plurimæ, aquâ citrinâ plenæ repertæ fuerunt, non ſolum in utero; verum etiam reliquis corporis cavitatibus.

Ejusdem ferè tenoris caſum *Chriſtoph. à Vega l. 3. ſect. 10. c. 13. art. med.* annotavit, quem vide ſis.

Supra citatus *Hieron. Mercurialis* inter tunicam & tunicam uteri aquam colligi aſſerit, non quod tunicæ totæ à ſe invicem diſcindantur, ſed quod in quibusdam partibus tantum ſeparentur; ita ut fiant in uteri ſubſtantiâ veluti veſiculæ aquâ plenæ.

Ab omnibus recedit *Ludov. Mercatus lib. 2. de affect. mulier. c. 15.* Vaſaque utero annexa accuſat, vel potius extremitates vaſorum ad uterum quæ terminantur; inque his ex humore ſeroſo & pituitoſo excitari pelliculas, quæ tunicis uteri adhæreſcentes mucoſo humore implentur, majoremque indies à prædictorum vaſorum oſculis hujus excrementitii humoris copiam recipiunt, & ita uterum in tumorem hydropi ſimilem elevant.

Nos in inveſtigando modo, per quem ſeroſa & flatuoſa materia in uteri cavitate retinetur, anxiè non laborabimus, ſed cum *B. Sennerto* credimus: impoſſibile non eſſe, nec neceſſarium ſemper ut aqua in utero collecta ſuâ quantitate & mole naturam ſtimulet, & per patens orificium effluat. Nec ſemper patet interius uteri oſculum, ſed ita quandoque conſtringitur ut iſti materiæ non pateat exitus. Nec dubitat *Sennertus* hujusmodi influentis humoris aſſveſcere naturam, ſi ſenſim colligatur.

Addo & hoc, quod uterus in ſtatu præſenti vel maximè ſit refrigeratus, ob calidi nativi defectum: Cum verò proprium ſit frigiditatis denſare & conſtringere, probabile videtur, etiam uteri orificium magis denſari atque conſtringi. Ut adeò mirum non ſit, ſi non perpetuò aqua fluat & erumpat, ſed ibi quandoque coërceatur.

Imò *Fernelius lib. 6 Pathol. c. 15.* ſine peculiari oſculi uterini vitio, ex ſolâ conſtrictione ſerum in utero contineri poſſe cenſet; idque confirmat exemplo mulieris hydrope uteri laborantis; quæ quoties appetebat menſtrua purgatio, omnem aquarum colluviem ex utero profundebat; collecta proximo menſe par colluvies, ſtato tempore profluebat.

Qui

Qui deniqúe à *grumis ſanguinis* poſt abortum & laborioſum partum in utero concretis, orificium ejus obſtrui poſſe putant, aberrant. Sangvis enim ejusmodi grumoſus & concretus, per tantum temporis intervallum in utero hærere nequit, ſed brevi putreſcit & inflammatur: unde non niſi intenſi dolores, & graviſſima ſymptomata excitantur.

Afficitur porro *Subjectum ut Quo*, vel per ἰδιοπάθειαν, & ſeminalem vitioſorum humorum inundationem, vel per συμπάθειαν, & aliarum partium conſenſum. ἰδιοπαθικῶς uterus afficitur proprio ejus vitio, læsâ ſcil. facultate concoctrice ſpeciali ac alteratrice in utero, quæ ſangvinem per venas & arterias oblatum, non ritè ſibi aſſimilat, propter frigidam intemperiem & debilitatum calorem nativum ex frequenti abortu & partu, aliisque ſive internis ſ. externis cauſis, quæ uterum refrigerare, calidumque innatum debilitare poſſunt.

Per Conſenſum quoque quod afficiatur, nemo negabit; ſive jam *poſitivam* conſentiendi rationem intelligas, ſive *privativam*.

Prioris reſpectu Hepar, frigidâ intemperie laborans; ſive illa per πρωτοπάθειαν ſit introducta, una cum ſangvine ſeroſitates gignit, illasque ad uterum beneficio vaſorum, (ſive jam veterum cœcas & inuſitatas vias intelligas; ſive recentiorum vaſa lymphatica:) tranſmittit, ibique hydropem aquoſum efficit.

De Liene & Meſenterio par eſto judicium: *Illum* non raro ſeroſorum humorum diluvio inundari experientia teſtatur, unde *Platerus l. 3. prax. med.* lienem absque conſenſu Hepatis hydropem excitare poſſe exiſtimat.

Iſtud, ſeroſâ materiâ ſemper refertum, anſam huic malo præbere, nemo negat. Hinc à quibusdam cloaca corporis, ſentina & ſedes, imò parens multorum morborum ſalutatur. *Pancreatis* aberramenta in pari hîc ponimus gradû.

CAPUT IV

cauſas in medium profert Immediatam cum Mediatis proximioribus.

CAuſarum cognitionem quovis tempore maximi fecerunt Philoſophi & Medici. Magnificum enim quiddam ſplendidumvè videbatur noſſe ſingularum rerum cauſas, cur unumquodque fieret, cur interiret, & quâ ratione exiſtat? Felices enim (*Incomparabilis noſtri Rolfincii* verbis utar *l. 2. meth. comment. ſect. 3. c. 1.*) reddit doctrinarum poſſeſſores, metus omnes, & inexorabile ignorantiæ fatum ſubjicit pedibus, & ἀμεζαπλώτους reddit curioſos. Eâ verò non inſtructus medicus, Palladis portas nec aperire, nec ingredi, multò minus ad regium ὑγιείας ſolium accedere, & glorioſæ reginæ conſpectu frui poteſt.

Nos harum ſeriem & progeniem breviter inveſtigare conabimur.

CAUSÆ IMMEDIATÆ loco ſe offert vitium humorum & vaporum in utero deliteſcentium: hæc eſt materia nutritioni inepta, uterum replens ac diſtendens, & in tumorem hydropi ſimilem elevans.

Conſentit nobiſcum *B. Sennertus l. 4. med. pract. part. 1. ſect. 2. c. 11.* qui aquæ in utero collectionem, à ſeroſâ & aquoſâ humiditate menſibus permiſtâ pro causâ agnoſcit.

Nec contrarius *Varandæus l. de affect. mulier. c. 8.* collectionem pituitæ, ſeri & flatus in utero accuſans.

Ipſe *Galenus 6. aph. 8.* cauſam efficientem, humoris, vel humidi vaporis nimiam abundantiam ſtatuit.

Alii læſam facultatem tertiæ coctionis in utero pro causâ immediatâ agnoſcunt.

Paracelſus & ejus ſectatores à ⊖e reſoluto omnem hydropem deducere conantur: hinc cauſam proximam ſtatuunt ⊖ aluminoſum vel quod aliis placet ♀rum aluminoſum; Reſolvi autem ⊖ illud & liqueſcere.

1. ab influentiâ cœli microcoſmici interni virtute Solis & ſtellæ hydropicæ aquoſæ, à qua pluvia interna mota, ſalem attingens, illum ut Sol nivem diſſolvat & liquefaciat. Eandem enim macrocoſmi & microcoſmi habitudinem eſſe judicat.

2. propriam ⊖is naturam allegat, qui ſuâ naturâ aptus eſt in reſolutionem abire.

3. à diætâ aquosâ & victu immoderato humectante, qui in-

ter-

terram microcoſmi effuſus, eam non minus ſolvat, quam ſi à cœleſti pluviâ maderet.

4. à ſimilibus morbis ⊖em reſolventibus. vid. *Paracelſ. in duob. tract. de hydrope, item lib. 2. de ♀ro tract. 2. c. 6.*

Scheunemannus in medic. reformatâ nihil diſſentire Hermeticos à Galeni ſectatoribus exiſtimat. *Qui*, inquit: *quamvis cauſam hydropis ſtatuant ⊖ reſolutum, tumorem in abdomine efficientem; hujus tamen reſolutionis cauſas adferunt ſpiritus Mechanicos hepatis, tincturis tartareis, aluminoſis & ſtypticis inquinatos & debilitatos, ut ⊖ ſuperfluum à nutrimento ſeparare nequeant: unde ⊖ illud vaporis ſpecie per corporis partes divagans, tandem in aquam reſolvitur: quæ cauſa cum imbecillitate Epatis plane una eſſe eademque creditur.*

Petrus Joh. Faber pathol. ſpagyric. c. 60. hydropis uterini cauſam, hepatis & lienis malam ac depravatam affectionem ex ♀ro ſtatuit, calorem nativum utriusque viſceris propemodum extinguentem.

Nos in tantâ opinionum varietate recipiendâ apes imitabimur, è variis florum generibus optima quæque ſeligentes: nec quis dicat, ſed quid dicat attendemus.

Paracelſi autem de generatione hydropis ſententiam quod attinet: non negamus humorem hydropicorũ ſalſum eſſe; ex reſolutione autem ⊖is coagulati & aluminoſi in Epate fieri aquam hydropicorum nunquã probabitur; Sal verò aluminoſum, quod loco cauſæ efficientis conſtituit, ejusque realis in corpore inexiſtentia, ut ille vult, ne unquam in humano corpore extitit.

Influentia cœli interni, & pluvia microcoſmica, ⊖em liquefaciens, mera allegoria eſt; iis verò niti in ſcholis phyſicorum & medicorum, ἀφιλόσοφον.

Quæ de habitudine, analogiâ & identitate macrocoſmi & microcoſmi, itemque cauſis reſolutionis profert, dubia partim, pleraque obſcura, vid. *Magnif. noſter Rolfincius in chim. in art. form. redact. l. 1. c. 20.* qui hæc, ut ſolet omnia ἀκριβῶς perſequitur.

Addo & hoc, curam hydropicorum perfectam non in ⊖is coagulatione conſiſtere; ſed potius in ſeroſi humoris evacuatione, & miſerè afflictarum partium roboratione. *Hel-*

Helmontius tr. de hydrop. ignoto, à ſolo rerum Archæo omnem hydropem, fermento ex cauſa occaſionali intra ſe concepto oriri ſtatuit.

MEDIATA PROXIMIOR cauſâ ſecundum eſſentiã conſiderata cum *Mercurial. l. 4. de morb. mul. c. 17. Maſſar. l. 4. c. 10. Franciſc. Joël. tom. 4. pract. l. 8. ſect. 1.* & aliis, intemperies frigida Hepatis & Uteri conſtituitur.

Vel ſi cum *Riverio* mavis *prax. med. lib. 15. c. 12.* Caloris nativi imbecillitas, cùm uteri, tùm Epatis & lienis.

Accuſatur frigida intemperies Epatis ut cauſa hydropis uterini, ſive jam illa contingat per πρωτοπάθειαν, & ſui ipſius vitio ſcirrho, inflammatione & obſtructione; ſive δευτεροπάθειαν, & conſenſu aliarum partium, lienis, meſenterii & ventriculi refrigerati, non excluſo utero, ex ſuperflua menſium evacuatione debilitato, unde magnam frigiditatem concipit: vel denique ex aliâ quacunque hæmorrhagiâ. Unde à *Divino Sene 6. Epidem.* hydrops proles ſangvinis profluviorum dicitur.

Vulgata veterum eſt ſententia omnis generis hydropem accidere Hepate primario affecto, cauſamque hydropis præcipuam eſſe αἱμάτωσιν Hepatis læſam ab ejus frigidâ intemperie. Docuit hoc ipſum *Galen. 5. de loc. affect. c. 7.* hunc ſequitur *Avicenn. lib. 3. fen. 14. tract. 4. c. 4.* & alii quam plurimi.

Verum hanc ſententiam, ſalvâ illorum authoritate, negamus.

Certum quidem eſt hydropem ferè omnem vitio læſę facultatis αἱματοποιητικῆς fieri, itemque vitio organi ſangvificationis: dum verò hoc ipſum præcisè ad Hepar trahitur, error committitur.

Imò planè exulare videtur hodierno ſeculo veterum de cauſâ hydropis ſententia: plurimi enim, etſi in totum Hepar non excludant, principatum tamen ſangvificationis ipſi denegant, & cordi potius ceu fonti, deferendum eſſe exiſtimant.

Nec Epar ſemper malè affectum credidit Hippocrates, ſed pridem docuit *lib.* περὶ παθῶν: γίνεται ὕδρωψ καὶ ἀπὸ σπληνὸς, ὅταν νοσήσῃ: *generatur hydrops etiam à ſplene cum ægrotaverit.* repetit hoc, & generationem hydropis ex liene integrè deſcribit *lib. 1. & 4. de morb. mulier.*

Au-

Authoritatem Divini Senis varia medicorum confirmant experimenta, quæ Hepar integrum ſæpe ac ſalvum in ſectis hydropicorum corporibus obſervarunt. nolo exemplis ſupplere paginas, poſſunt hâc de re videri *Mauric. Cordæus comm.5. in lib. 1. Hippocr. de morb. mulier. Schenck. lib.3. obſerv. Sylvius Lanceanus, in peculiari libro, inſcripto titulo; hydropem non ſemper à jecore fieri*, & alii.

Unicum addere placet obſervatione dignum, quod ex hiſtoria *Johann.HeinzI* Sennertus loco ſæpius citato annotavit de ancilla ex utero hydropicâ, ob errores in victu commiſſos: quæ ut mortuæ corpus ſecaretur petiit. Secto poſt mortem cadavere, plurima aquæ copia effluebat, viſcera omnia ſalva reperta fuêre, Hepar optimè affectum, lien laudandus; Pulmones verò dimidiâ parte corrupti, itemque omentum, & teſtes, qui tumidi ad magnitudinem capitis recens nati infantis, fungoſi & veſiculis aqueis pleni reperti fuerunt. Hinc judicat Sennertus, cauſam unicam hujus hydropis fuiſſe teſtes, non Epar aut aliud viſcus. Hæc omnia ſufficienter probant, partem originaliter læſam, cauſamque prædicti affectus non eſſe Hepar ſemper, nec lienem; ſed quandoque meſenterium, pulmones, renes, non excluſo monarchâ microcoſmico corde, primario ſangvificationis organo & inſtrumento, quo læſo & refrigerato ſangvificatio læditur, hâc læſâ facilè hydrops introducitur; ſangvis enim aut nullus, aut non ſufficiens, aut pravus generatur, non niſi frigida, aquoſa & ſeroſa humilitate conſtans. αὐτοψίαν adducit Excellent. Dn.D. *Schenckius in Exercit. anat. VI. lib. 1. ſect. 11. c. 26.* & demonſtrat, aperta hydrodicorum corpora nonnulla marcidum flaccidumque Cor, floridum verò & ſanum Epar exhibuiſſe.

Qui verò calidam & ſiccam Hepatis intemperiem accuſant, & ab illa hydropem uterinum fieri exiſtimant, non deſtituuntur rationibus. Urgent ſummam hydropicorum ſitim, urinarum rubedinem, aliaque plurima caloris potius quam frigoris indicia. Nolo autem prolixior eſſe in adducendis illorum rationibus, ſed plura deſiderantem remitto *ad Felic. Plater. tr.3. c.3. Fernel. l. 7. de part. morb. & ſympt. c. 8. Cardan. 1. prognoſt. 2. & in 12. aphor. Hippocr. ſect. 1.* Interim ſalvo aliorum judicio exiſtimo, utramque

que

que intemperiem, tàm frigidam, quam calidam cauſæ vicem obtinere poſſe. Hoc tamen impugno hydropem uteri immediatè ſequi cauſam calidam; mediatè autem & κατὰ συμβεβηκὸς concedo interventu ſcil. frigidæ intemperiei.

Alii in ipſo Utero vitium animadvertentes, Cauſam hydropis uterini unicam & proximam cum *Ætio lib. 4. ſermon. 4. c. 79.* diuturnam menſium ſuppreſſionem, & imprægnationem impeditam agnoſcunt; quam etiam potiſſimam eſſe, nemo facilè inficiabitur: longa enim menſium retentio, & nimia ſangvinis hujusmodi abundantis copia calorem uteri obruit & ſuffocat, frigidamque intemperiem ſenſim introducit.

Nec etiam hi aberrant, qui frequentes abortus, & partus difficiles, itemque immoderatas menſium purgationes pro cauſa venditant, nam & hoc modo uterus valdè refrigeratur pabulumque caloris nativi exhauritur.

Conſiderata jam humoris peccantis qualitate; motus etiam cauſæ morbificæ localis conſiderandus venit. Circa hunc perpendenda veniunt.

Partes mandantes, Recipientes, Viæ & Modus.

Mandantes ut ſupra dictum variæ, pleræque corporis partes eſſe poſſunt.

Pars recipiens Uterus eſt conſideratus quoad ſubſtantiam & cavitatem.

Viæ & vaſa, tàm arterioſa, quam venoſa ſunt.

Plurimi veterum cœcas & inuſitatas vias aditum ſibi in uterum parare, ibique materiam exonerare crediderunt.

Alii è vena cava, ſerum ſangvinis in uterum inſtillare, aut ejus vaſa aquoſum hunc humorem deferre contendunt.

Recentiores ex parte accuſant vaſa lymphatica, & ſuccum à ſangvine diverſum per ea ad uterum vehi aſſerunt.

Cum verò modus hujus inſertionis multis, inque ſtudio anatomico exercitatiſſimis viris videatur obſcurus, ne dicam nullus, ἐπέχειν malo, quam in re incerta & dubia certi quid affirmare.

Nec aliter de horum vaſorum inſertione in uterum ſentit *Magnificus noſter Rolfincius, feliciſſimus artis anatomicæ reſtaurator*

tor, loci hujus & profeſſionis ſuæ decus & gloria ſumma, in ord. & meth. generat. dicat. part. 2. c. 26. qui rem indagatu & demonſtratu difficilem judicat. *Conſentit Nobiliſſ. Dn. D. Schenckius, in Exercitat. Anatom. VI. lib. 1 ſect. 2. c. 22.*

Modus fluxionis in parte ποιητικῇ & mittente per ὦσιν ſ. pulſionem; in parte verò ἀποδεκτικῇ ſ. recipiente per ἕλξιν ſ. tractionem contingit.

CAPUT V
cauſas Mediatas remotiores exhibet.

ACcedimus ad illas cauſſas, quæ remotius affectum noſtrum producunt: hæ communiter in tres rediguntur claſſes, rerum videlicet *Naturalium, Nonnaturalium* & *Præternaturalium*

In cenſu NATURALIUM excellit

I. TEMPERAMENTUM, tùm totius tùm partium. Valdè autem diſpoſitæ erunt ad hydropem uterinum contrahendum mulieres temperamento frigidiore quæ gaudent & humidiore; & quibus ſimul uterus continuis ſcatet humiditatibus. Bilioſæ contrà & ſiccioris naturæ, ob caloris nativi potentiam & valorem, vitioſas ejusmodi humiditates abſumunt; non enim permittit calor, ut aquoſa materia in utero coacervetur: Ubi verò deficit calor nativus, vel depravatè agit, plus áquæ humiditatis generatur; frigore enim invaleſcente, in hydropicis aquarum largiſſimi manant rivi, docente *Cl. Bartholin. in ſpicileg. de vaſ. lymphat. p. 6.*

II. MODUS SUBSTANTIÆ *& habitus corporis*, ſi à naturali ſtatu recedit, debitamque integritatem deſerit, qualis cachecticus & ventricoſus, ad hydropem uterinum maximè diſponit; ſeroſum enim crudum & pituitoſum ſangvinem alit, locoque alimenti reliquis partibus ſuggerit, unde non levis viſcerum δυσκρασία emergit.

III. DISPOSITIO HÆREDITARIA ſuum hic confert

ἐπιβάλλου μέρος. Cum enim animadvertente *Hippocr. de aer. aq. & loc.* à ſanis ſemen ſanum; à morbidis verò morboſum decidat; quidni quoque poſſibile, communicari natæ poſſe hoc vitii genus per contagium Harveanum, ſangvinemque maternum, præprimis ſi ante conceptum hydropica hujusmodi diſpoſitio adfuerit. Non enim rarò contingit, conceptum in utero paternorum & maternorum malorum fieri ex aſſe hæredem, ſecundum illud Poëtæ:

Qui viret in foliis venit ab radicibus humor;
Sic Patrum in natos veniunt cum ſemine morbi.

IV. ÆTAS, cuique ætati ſua cum ſit ſanitas, ita ſuus quoque morbus ſuæ moleſtiæ.

Noſtra quidem affectio omni ferè ætati communis, Juvenili quidem & virginibus pubeſcentibus, cum circa menſtrui tempus aut ſeſe corrumpunt, vel materiæ excretionem impediunt, præprimis autem ſenili; huic enim non rarò uterus ex copioſo, nonnunquam & laborioſo partu & abortu ita refrigeratur ac debilitatur, ut quid aliud ſperent, non habeant.

V. SEXUS, quemadmodum fœmineæ ſortis conditio in eo miſerabilis eſt, quod præter mille caſus & morbos, variis inſuper uteri ægritudinibus, à virorum planè diverſis, ſæpiſſimè excarnificari ſoleat; ſic etiam in præſenti affectu prærogativam obtinere videtur, propter temperamentum frigidius & humidius, quo præ Viris κατὰ φύσιν pollet.

E rebus SEX NON NATURALIBUS primum ſibi vendicat locum.

AER, qui à *Galen. art. medicin. c. 85.* ad τὰ ἀναγκαῖα refertur, & merito; cum nulla eum evitandi ratio ſit, corpus vel quatenus id ambit & in poros penetrat, vel quatenus inſpiratione attrahitur, afficit.

Aptiſſimus ad uteri hydropem introducendum eſt frigidus & humidus. *Ille* totum refrigerat, denſat, poros claudit, humores omnis generis incraſſat & auget; *Iſte* calorem obtundit, humores cumulat, & variarum deſtillationum cauſa exiſtit. Sic uterus aëre frigidiori præſertim poſt partum moleſtatus, graviſſima hujus effectus eſt cauſa, idem efficit, ſi fluentibus menſtruis importunè occurrat.

Cum

Cum vero anni tempora, aërem mutando ſimul ad varias ægritudines diſponant:

Ver, ſuâ naturâ ἔυκρατον, ſi ſibi relinquatur, ei frigidorum morborum γένεσις adſcribi non poteſt. Si vero cachecticum corpus, multis aquoſis & pituitoſis excrementis refertum inveniat, tunc per accidens hydropem uterinum introducit, quatenus ſcil. humores uteri vitioſos, & aliarum partium commovet.

Æſtas calida & ſicca; pars anni morborum ferax, ad neceſſarium affectum progenerandum parum confert, humores enim potius exſiccat, & per poros ſemper apertos, promovet & expellit.

Autumnus, inæqualis & mutabilis, omnis fere cacochymiæ parens, & vitii per totam æſtatem concepti conſervator, ad omnis generis tumores & hydropes excitandos non parum operæ ſuppeditat, confirmante *Hippocr. l. 3. aph. 22.*

Hyems, propter frigidam & humidam temperiem, pituitoſorum ac ſeroſorum morborum feraciſſimus, quin etiam concurrat, dubium adeſt nullum.

Aſtrorum in hæc inferiora *influxum* & poteſtatem maximi ſemper ab omni antiquitate fuiſſe habitum, veterum æquè ac recentiorem ſcripta abunde probant.

Ego, ut in terminis me contineam, Venerem naturam Phlegmaticam, frigidam & humidam habentem, matrici, renibus, vaſisque genitalibus dicatam; harum etiam partium ægritudines promovere poſſe credibile exiſtimo.

Lunæ concurſus me paulò certiorem reddit; membra enim generationi & conceptioni dicata, & Epar in muliere ſpecialiter gubernat; adeoque harum partium imbecillitates ſignificare, morbosque phlegmaticos & ſeroſos, conſequenter hydropes inducere poſſe, ſtatuere non erubeſco.

CIBUS ET POTUS ποιότητι, ποσότητι καὶ τρόπῳ τῆς χρήσεως, peccantes fomitem ſubminiſtrant.

Qualitate alimenta peccant, eâque *primâ*, dum frigiditate & humiditate modum excedunt, ſive jam ſuâ natura ſint talia, ſive non.

Secundis qualitatibus peccant cibi κακόχυμοι καὶ δύσπεπτοι

 pra-

pravi ſucci & difficilis coctionis; hi enim non poſſunt non pravos humores cacochymiæ parentes cumulare. Peſtis verò hydropicorum ſunt carnes omnis generis fumo induratæ, ob difficilem coctionem, & ſuccum craſſum minusque alibilem: hujus farinæ ſunt piſces marini ſaliti; è fructibus melones, cucumeres, olera, legumina, itemque aceti uſus frequentior; hæc enim alimenta aut corpus refrigerant & coctionem impediunt; aut flatus & ſeroſam materiam cumulant.

Quantitate excedunt alimenta, eaque *continuâ*; ſi nimiâ cibi & potus copiâ ventriculus obruatur, hæc enim naturæ vires opprimit. unde breviter *Hippocrat. 6. Epid. com. 6. t. 5.* σιτία, ποτὰ, μέτρια. *cibi, potus, moderata.* ubi enim alimentum ultra naturam capitur, morbum facit.

Diſcretâ peccatur quantitate, quando varii & qualitatibus diſſimiles cibi ingeruntur, perturbatio enim corporis naſcitur, præprimis ſi contrariarum ſint qualitatum, & unus citius, alter tardius concoquatur. Idem monet *Galen. 1. de vict. ratione in acut. t. 18.* ἄραδος κακὸς ἐπὶ πολλῶν ἐδεσμάτων γίνεται, τῶν μὲν δακνόντων τὴν γαστέρα, τῶν δὲ φυσώντων. ἐνίων δὲ καὶ ἐκμαχομένων ταῖς δυνάμεσι μερῶν συγκειμένων. *Perturbatio ex multis naſcitur eduliis, his quidem ventrem mordentibus, aliis verò inflantibus, aliis item, quæ pugnantibus facultate partibus conſtant.*

Utendi modus ut obſervetur neceſſe eſt, ſin violetur, & ille cauſa morbi exiſtit. Noxium autem cibum ingerere, priore nondum concocto; cruditates enim colliguntur materiam hydropi præbentes. Noxium etiam, tempus conſvetum prætergredi, & cibandi horam vel indies mutare; fermentum enim ſi acre eſt, turgere incipit, ventriculum diſtendit, variaque incommoda producit.

Circa potum, ratione qualitatis, quantitatis & modi utendi eadem obſervanda veniunt. Largior enim & frequens ingurgitatio aquæ frigidioris & cereviſiæ, poſt validum motum, ut chorearum tempore contingit, vel etiam balnei uſum, hydropis ut generalis, ſic ſpecialis certiſſimus eſt prodromus; ex largo enim hujusmodi potu fermentum ventriculi diluitur & imminuitur, nullaque perfecta coctio ſequitur.

MO-

Motus moderatus ſanitatis conſervator, Immoderatus & intempeſtivus ſpirituum vitalium diſſipator; totum enim refrigerat, humores intempeſtivè agitat, præprimis ſi poſt aſſumptum cibum in modo peccetur; chylus enim crudus & vix dimidiâ parte *coctus* ad partes transmittitur. Hinc ſucci crudi & indigeſti multorum morborum fœcundi parentes.

Quies immoderata, & intermiſſa corporis exercitatio, ſi corpus offendat ventricoſum & cacochymicum, quale in mulieribus non raro deprehenditur, calidum nativum obtundit, excrementa cumulat, & ad partes calore nativo ſpoliatas devolvit.

Somnus & Vigiliae, *ὕπνος ἀγρυπνίη, ἀμφότερα τοῦ μετρίου μᾶλλον γινόμενα, κακὸν,* inquit *Hippocr. 2. aphor. 3.* modum enim ſi exceſſerint malum.

Iſte quia naturales evacuationes detinet, ſpiritus diſſolvit, frigidorum morborum maximè deſtillationum cauſa exiſtit.

Illæ, ſi nimiæ, coctionem impediunt, humidum radicale & tenuiorem ſangvinis partem abſumunt, & frigidorum morborum cauſa per accidens fiunt.

Temporis ratione, nocturnus debito poſt cœnam intervallo, maximè commendatur, *Diurnus* verò & meridianus poſt prandium inſtitutus à plurimis reprobatur: quanquam conſvetudini, ætati & temperamento hic aliquid indulgendum.

Ἐκκρινόμενα ſ. Excreta ſi præter modum excernantur, malum augent. Ad ea referuntur *à Johann. Varandæo lib. 1. de affect. mulier. c. 8.* vehemens & diuturna menſtruorum fluxio, cujus vitio hepar valdè refrigeratur, calorisque nativi pabulum exhauritur; Item hæmorrhagia quævis ex quacunque parte, quæ & ſi non ſubitò; ſucceſſu tamen temporis hydropem uteri progenerare valet.

Ἐπεχόμενα & Retenta morbos congeneres excitare ſolent: Sic nimia menſtruorum ſuppreſſio calorem nativum præ multitudine humorum ſuffocat, & ſtagnantes humores paulatim in utero colligit. Urinæ nimia retentio multorum morborum cauſa exiſtit. Cum enim reperiantur, à ſero hoc reſtagnante qui omnem affectuum p. n. cauſam derivent, patet, quid ex urinæ retentione incommodi eveniat. Plura de ſeri præt. nat. effe-

ctibus

ctibus qui deſiderat, *Excellentiſſimum Dn. D. Johann. Theodorum Schenckium, exaſciati Judicii Medicum, Profeſſorem in hac Salana Famigeratiſſimum, Patronum filiali amore & honore proſequendum, in curioſâ de ſero & ſangvinis hiſtoriâ legat.*

Referimus etiam huc balnea frigida, quorum ſæpius repetitus uſus, humidam intemperiem laborantibus partibus conciliat: frequenter enim hydropicæ evadunt mulieres ex utero, quando manſionibus in aqua frigidiori nimis indulgent.

ANIMI PATHEMATA varia eſſe poſſunt. Ad debilitandum uterum & alia viſcera præcipuè conſpirant omnis generis curæ, Triſtitia & animi perturbationes; hæ enim ſi modum excedant, ſangvinem alterant, ejus circulationem retardant, & fomitem huic malo ſubminiſtrant non mediocrem.

RES PRAETER NATURAM ita comparatæ ſunt, ut una interdum alterius fomes ſit & incitamentum.

Intemperiem frigidam cùm totius, tùm partium principalium, ſpeciatim ipſius uteri, ut cauſam communem noſtri affectus, omnes ferè practicorum libri accuſant.

Alii *Tumores* adducunt quoscunque, ſive uteri, ſ. epatis, ſ. aliarum partium, ſcirrhoſos & œdematoſos refrigerando & obſtruendo uteri hydropem producere; phlegmonoſos & eryſipelatoſos humidi primigenii ſubſtantiam diſſipando, &, ſi indurentur, meatus & poros uteri conſtipando.

Cauſſam etiam hujus mali non eſſe vulgarem *longam menſium ſuppreſſionem*, & immoderatam horum purgationem, frequentes abortus & partus difficiles veteres unanimiter docent.

Per *caſus quoq; & vulnera*, nonnunquam excitatum fuiſſe hydropem ut totius, ſic partium, medicorum obſervationes confirmant, *vid. Foreſt. l. 19. obſ. 19.*

CAPUT VI

differentias exponit.

PEtuntur DIFFERENTIÆ ab ipſa ratione formali, materiali & efficiente.

I. *Ratione cauſæ formalis*, quæ reſpicit diſpoſitionis præternaturalis *Ideam*, hujus reſpectu hydrops uteri alius genuinus,

de

alius nothus & falſus, cujus natales deſcribit *Ludovicus Mercatus d. affect. mulier l. 2. c. 15. Magnitudinis & vehementiæ reſpectu* diſtinguitur in intenſiorem & remiſſiorem. Intenſior eſt, quem epatis & uteri duplicata intemperies procreat; mitior qui ſolius uteri vitio contingit. *Generationis & motus ratione*, alius incrementum capit lentè ac ſenſim, & vitio humoris pituitoſi introducitur; alius ſubitò irruit & extollitur, & à flatibus generatur. *Invaſionis & durationis reſpectu*, alius recens & incipiens, ubi viſcera non omnimode ſunt labefactata; alius confirmatus & inveteratus, ubi calor nativus maximam partem abſumptus, & uterus alterando & coquendo langueſcit.

2. Ratione CAUSÆ MATERIALIS generatur hydrops modò *ἰδιοπαθικῶς*, vel in uteri ſubſtantia, vel cavitate; modò *ςυμπαθικῶς* & per transmiſſionem cauſæ ab aliis partibus.

3. *Ratione* CAUSÆ EFFICIENTIS, totuplex eſt, quotuplex ejus cauſa, alius quippe à causâ internâ, intemperie ſcil. frigida uteri; alius ab externa, aëre, cibo & potu immoderatè frigido, alius denique ab aliâ producitur causâ.

CAPUT VII

ſigna diagnoſtica manifeſtat.

TAnta ſignorum ad bene medicandum eſt neceſſitas, ut nihil curetur, niſi per ſigna prius cognoſcatur; qui enim ignoto morbo præſcribit remedium, clauſis pugnat oculis.

Sunt autem SIGNA hydropis uteri vel *Imminentis*, vel *præſentis*.

Imminentem denunciat ex *rebus naturalibus* temperamentum totius & partium principalium frigidum & humidum, ſive diſpoſitio cachectica; hæc ſeroſorum humorum abundantiam adeſſe demonſtrat.

E non naturalibus diſponunt ad futurum uteri hydropem, aër inſigni alteratione perturbatus, itemque alimenta frigidiora

& humidiora, nec non executa & retenta inhibita. Signa *præternaturam* ſunt hæmorrhagiæ immoderatæ, imbecillitates partium coctioni & alterationi dicatarum, & alia antea in cauſis adducta.

Qualitates totius corporis mutatæ præſagiunt etiam noſtrum affectum. Sic color faciei ad album & lividum mutatus, retentionem menſium in virginibus, & ipſam cachexiam denotat.

PRÆSENTIS uterini hydropis διάγνωσις 1. affectum ipſum, 2. partem affectam 3. cauſas, 4. ſigna diſtinctiva manifeſtat.

Hydropem uteri demonſtrant τὰ ἐνέοντα κατὰ τὸν τῆς οὐσίας λόγον, *eſſentialiter inhærentia*, ut ſunt tumor circa imum ventrem amplus, laxus, ſecundum uteri formam extenſus, murmura & ſonitus, paucitas & defectus menſium, mammarum mollities & lactis carentia, oſculi uteri gracilitas & humiditas &c. his adjungunt recentiores multa alia, quæ facillimo negotio ad ſigna Hippocratica referri poſſunt.

Ἐξ ἀνάγκης ἑπομένων *ſ. poſt eſſentialium ſignorum* locum tuentur ſymptomata

Actionis læſæ Naturalis, læditur autem potiſſimum concoctrix & expultrix facultas, non uteri tantum, ſed & aliarum partium, unde urinæ ſuppreſſio, lactis, ſi ad eſt depravatio, ſeminis in ſomnis effuſio, & alia.

Vitales inter actiones excellit pulſus, qui in noſtro affectu, præprimis ſi epar in conſenſum trahatur, parvus, crebrior & ſubdurus eſt, cum quâdam tenſione: accedit in ambulando gravitas & ſpirandi difficultas, quâ ut plurimum laborant.

Actiones læſæ animales ſunt, capitis dolor quandoque acerbus, plerumque enim per conſenſum afficitur teſte Ætio; melancholia mœror & triſtitia quandoque ſuperveniunt. Hinc Mercurialis: ubi mulier quid edit aut bibit, magis affligitur, triſtiorq; evadit.

Qualitatum mutatarum ſymptomata ſunt partium quarundam frigus & mollities, color faciei fœdus & lividus.

In *Excretorum & retentorum* numero *qualitate* peccant, excrementa; alvi graveolentia, addit Moſchius mucoſas nares

quanti

quantitate imminutâ, urinæ defectus, & impeditus menſium fluxus: auctâ, immoderatæ menſium purgationes & hæmorrhagiæ.

PARTEM AFFECTAM in hoc morbo nullus dubitat eſſe uterum, in tumorem p. n. à materia aquoſa ibi collecta elevatum. Hic utrum per ſe afficiatur, aut vitio alterius partis exinde colligatur: ſi aliarum partium prava diſpoſitio præceſſerit, vel etiam indicia adſint totius corporis malè affecti; ut ſunt febres diuturnæ, hæmorrhagiæ immoderatæ, ventriculi imbecillitates, præprimis autem epatis & lienis prava diſpoſitio: tunc conjectura certiſſima, uterum per conſenſum & materiæ communicationem perque modum rheumatiſmi affici.

Si vero hæc deſint, & tamen tumor acciderit, corpore aliàs benè valente, præceſſerit autem longa menſium ſuppreſſio, aut nimium profluvium, immoderata victus ratio, vel alia cauſa: tunc conjiciendum erit, per eſſentiam laborare uterum, & materiam in utero contentam à peculiaribus diſpoſitionibus dependere.

Dignoſcendum etiam eſt, quâ in parte uteri materia peccans contineatur, utrum in ejus capacitate, an vero in ſubſtantia & membranis?

In *uteri cavitate* quando continetur ſeroſa & flatuoſa materia, tunc major eſt tumor circa regionem hypogaſtrii; ſi vero inter tunicas uteri aqua ſit collecta, vel veſiculis adnatis, non adeò tumor notabilis ex mente autorum obſervatur.

CAUSARUM διάγνωσις jam pertractanda eſt, probè autem diſcernenda venit peccans materia, utrum ſcil. pituita, ſerum aut flatus ſit, & an ſolitariè agat, an vero conjunctâ vi?

Solitariè quando conſiderantur, diſtinctas hydropis uterini ſpecies producunt.

Pituita, humor frigidus & lentus hydropem, anaſarcam dictum, repræſentat, & inſtar œdematis imbuit propriam uteri ſubſtantiam & membranas, mollem etiam & flaccidum contactuiq; digitorum cedentem reddit uterum, & partes circumſtantes hypogaſtrii & epigaſtrii.

Seroſus & aquoſus humor, aſciti analogus, ipſam uteri cavitatem implet, & inſignem elevationem cum dolore excitat; quandoque etiam membranarum uteri interſtitia, adimpletis veſicu-

 lis,

lis petit, apparet & in hâc ſpecie regio uteri mollis & flaccida.

Tandem *flatus* in utero qui colliguntur & illum tympani inſtar diſtendunt, hydropis tympanitis repræſentant ſpeciẽ; Hæc etſi curatu reliquis ſit facilior; tamen ob varietatem ſymptomatum inſignes dolores & cruciatus excitare ſolet. Dignoſcitur à reliquis ſpeciebus ſonitu & ſtrepitu imi ventris, dolore pungitivo, reſpiratione difficili, eructatione frequenti, ſuffocatione uteri, & aliis ſymptomatibus.

Cauſas ſive internas ſ. externas, quæ ad vitioſas has materias producendas aptæ ſunt, repetere, opus haud eſt, atque diſtinctè earundem ſigna proponere: remitto benevolum lectorem ad ea, quæ ſupra de cauſis dicta ſunt.

SIGNA DISTINCTIVA enucleanda veniunt. Diſpiciendum autem quomodo à cognatis uteri hydrops differat affectibus.

Ab impregnatione & vero conceptu, quem ſæpe mentitur, diſcernitur.

1. Quia in impregnatione uterus ſenſim in molem attollitur, cum motu proprio & ſenſibili infantis circa aut quartum menſem.

2. Quia vera graviditas non facit tumorem p. n. æqualem & amplum, uti hydrops; ſed acuminatum quaſi, & faſtigium, atque eminentiam quandam circa umbilicum præſe ferentem.

3. In verâ conceptione ut plurimum poſt aliquot menſes ſe melius habere ſolent mulieres, & ſymptomata remittunt; in tumore autem uteri quo diuturnior eſt progreſſus, eo magis ſymptomata intenduntur.

4. In gravidis conſtitutio mammarum diverſa ab iis, quæ uteri tumores patiuntur: prioribus enim lacte turgent, poſterioribus flacceſcunt.

5. Addo in gravidis non fluere menſes, in uteri autem hydrope etſi proprie dicta non fluant menſtrua; humor tamen menſtruo fluxu analogus quandoque ſine ordine exſtillat.

A molâ differt, quia in eâ pondus majus & gravitas in imo

ventre

ventre percipitur, quæ in hydrope uteri non apparet: intumeſcunt etiam mammæ; in hydrope non item.

Dignoſcitur ab *univerſali hydrope abdominis* ex eo, 1. quod hydrops univerſalis incipiat à ſuperiore abdominis parte, illamque æqualiter diſtendat; uteri vero hydrops fundum ventris magis & hypogaſtrium occupet. In illo etiam tumor ad imas partes deſcendit paulatim; in hoc verò ſenſim creſcit & ad ſupremas partes aſcendit.

2. Actiones nutritionis & ſanguificationis non ita læſæ apparent ac in univerſali.

3. In hydrope ventris ſemper ferè præcedit vitium epatis aut lienis, colorque faciei mutatur ad pallidum & plumbeum: aſt in hydrope uteri hepar quandoque ſanum, plerumq; etiam fœminæ boni coloris.

4. Nec ſitis adeò vehementer urget in hydrope uteri, nec tanta adeſt linguæ ſiccitas, & reliqua ſymptomata pleraque ſunt mitiora.

Ab *Uteri inflammatione* diſtinguitur, quia hanc comitantur febres continuæ, dolores intenſi, & alia innumera ſymptomata, quæ in hydrope uteri non apparent.

A Scirrho & quâvis alia uteri duritie, tumoris laxitate.

Ab Inflatione uteri, mollitie & flacciditate: venter enim & uterus in inflatione tactus ſenſui adeſt, & ſi percutiatur, ſonum edit: in hydrope uteri plerumque eſt mollis.

Caput VIII

prognoſin perpendit.

MAxima Medici eſt prudentia, de inſtātibus verè judicare, & de futuris ſobriè conjicere; audent enim homines ſe magis concredere tali medico, & dum futura monet, inſtar Numinis venerātur: dum pericula prædicit, quiſque ea generoſis remediis præcavere poſſe credit: incurrabiles autē dum non attingit, autoritatem ſervat, & famæ ſuæ optimè conſulit.

Nos ex triplici & uſitato προγνώσεως fonte hydropis uterini

eventum & terminationem deſumemus:Salutis videlicet & Mortis; Longitudinis & Brevitatis,& modi eventus.

I. SALUTEM & MORTEM præſagiunt

1. Ratione Generis tumor uteri aquoſus & flatuoſus,affectus ex ſe & ſuâ naturâ valdè pertimeſcẽdus,& curatu difficilis, eoque difficilior, quò eſſentialiter inhærentia majora ſunt & graviora. Gravis eſt, quia particularis ejusmodi hydrops ruinam functionum naturalium plerumque integram in parte affectâ denotat. Periculoſus etiam,quia tandem,niſi ejus probè habeatur ratio,in univerſalem hydropem degenerat,vel ad minimum oſtendit partium principum coctioni & alterationi dicatarum conſenſum,propter quem non leviter incipit labefactari totius corporis œconomia.

2. Ratione Subjecti ſalus ſperanda, ſi flatuoſi & ſeroſi humores in uteri cavitate tantùm ſe colligant:mitior item,ſi proprio uteri vitio dependeat malum : diuturnior, quando materia peccans intra membranas colligitur, & veſiculis utero adnatis includitur;tunc enim curatio & longa & difficilis : periculoſior,ſi vitium epatis, & aliarum partium conſenſus concurrat; major enim labes eſt, à quâ etiam totius corporis ruina citius contingit.

3. Ratione Causae, periculo vacat ſimplex uteri inflatio, hæc diuturna non eſt : ſi tamen ægra ſibi relinquatur & non curetur, in genuinum hydropem degenerare poteſt. Præterea ſi ab humore benigno & non nimium corrupto hydrops uteri generetur,malum quidem eſt diuturnum, non tamen deſperatum; admittit enim ſucceſſu temporis curationem. Imò contingit non raro,ut aqua ex utero ſponte effluat, ægraque convaleſcat. Contrà,ſi uteri inflatio & hydrops vehementiora conjuncta habeat ſymptomata,itemque humores pravos & putridos, præprimis ſi pertinax menſiũ retentio ſit juncta, vel hæmorrhagia gravis,aut febris, tunc morbus periculoſus, quandoque lethalis.

II. LONGITUDINEM & BREVITATEM prædicunt quoque eſſentialiter inhærentia. Species hujus morbi illum longum fore ſignificat,cum ex genere acutorum non ſit. Si hydrops eſt à flatibus,malum nec lethale nec diuturnum eſt, ſed

brevi

brevi diſcutitur; ſi verò à vitio pituitæ & ſeroſi humoris copiâ originem habeat, longiorem deſiderat medicamentorum aſſumptionem, unde *Galen. 2. aphor. 19.* diuturni morbi fiunt ratione humorum craſſorum, qui concoqui non facile poſſunt, ſed impacti in partibus hærent. Sic hydrops uteri ob errorem externum productus citius abigitur, quam qui ab internis cauſis, facultate læsâ & viſcerum intemperie producitur. Ille ceſſat, materiâ remotâ, iſte non item; ſed ſemper ex vomitu repullulat materia.

III. MODUM EVENTUS. Terminatur hydrops uteri per λύσιν lentam & paulatinam AD SALUTEM, IDQUE ARTE; ſi poſt legitimum medicamentorum uſum ſymptomata cedant, ægra melius ſe habere incipiat, viſceraque priſtinum vigorem adipiſcantur.

Vel NATURA, quæ morbum quandoque ſtimulat, ut aqua ex utero ſponte effluat, & mulier convaleſcat.

Ad MORTEM, ſi continua accedat hæmorrhagia, febris, & ſitis vexet, ſolet enim conſenſum partium nobilium oſtendere. Si tandem ex particulari univerſalis introducatur hydrops, ruinam omnium functionum naturalium denotans.

CAPUT IX

curationem proponit præmiſsâ methodo curativâ.

IN veſtigato genere, ſubjecto, cauſis & differentiis, nec non ſignis tam diagnoſticis quàm prognoſticis, manus nunc admovenda erit CURATIONI, quâ tota ars medicinam facientis terminatur, quaque tot ægrotantium unicè diriguntur ſuſpiria.

Hujus cor quaſi ac princeps *methodus medendi* legitima eſt, quippe cujus exactam habeat cognitionem Medicus, neceſſum eſt. Siquidem rectiſſimè judicante *Pergameno 6. meth. med. c. 7.* & alibi: quisquis in medendi methodo eſt verſatus, inveniet recta remedia, & inventis rectè utetur.

Hæc duabus abſolvitur partibus INDICATIONIBUS nimirum & MATERIA PRÆSIDIORUM.

Tri-

Triplicis autẽ conſtituuntur ſortis indicationes, Curatoriæ, Præſervatoriæ & vitalis.

Divinus Senex lib. de natur. mulier. totam præſentis affectus curationem his verbis comprehendiſſe videtur: *mulier cum ſic habuerit, calida lavare oportet, & tepefactoria adhibere, donec dolor ſedetur: pharmacum autem deorſum purgans bibendum dare oportet: poſt pharmacum vero, uteros bubuli ſtercoris fomento ſovere: & poſtea medicamentum cum cantharide præparatum apponere; & interpoſitis tribus diebus id quod cum felle paratur.*

Verum ut normam & formam methodi conſvetæ retineamus, ita inſtituere placet; ut juxta *Indicationis curatoriæ* præſcriptum hydrops uteri, quatenus morbus in magnitudine aucta, tollatur, & intemperies viſcerum corrigatur.

Præſervatoriæ, ut cauſæ actu tumorem excitantes ſive humoroſæ ſint ſive flatuoſæ eliminentur, viæque præcludantur quæ potentiâ aptæ ſunt tumorem faciendi.

Vitalis, ut robur & tonus viſceribus reſtituatur, ne vel iterum excrementa generent, vel amplius recipiant.

Ad dicta omnia exequenda materiis præſidiorum opus eſt, ex tribus uſitatis fontibus Chirurgico ſcilicet, Pharmaceutico & Diætetico deſumendis.

CAPUT X
præſidia fontis Chirurgici aperit.

HÆc, quæ largitur, quin multum præſtent operæ, dubium ad eſt nullum.

VENÆ SECTIONEM quod concernit, dubitatur inter authores num ejus tum in generali tum ſpeciali hoc uteri hydrope valeat uſus? Equidem ſi conſideramus hunc uterinum hydropem ex δυσκρασία viſcerum utplurimum frigidâ & humidâ ortum trahere, à diminuto calore nativo quæ provenit, omnino reſpuenda erit.

Præterea ſi malum per longas moras invaluit, ita, ut omnes ferè

ferè corporis virtutes & potentiæ fractæ jaceant, emolumentum ut afferat tantum abeſt, quin potius nocumentum. Æger apud *Zacut. Luſitan. prax. med. admirand. l. 3. obſ. 39.* extracto ſanguine ex baſilicâ toto ſeroſo ac aqueo, ſyncope correptus, frigido ſudore madidus, toto corpore lividus, ſtertens citò occubuit. Omnem tamen in hydrope amoliri Venæſectionem cum Paracelſo & ejus ſectatoribus non autumo. In hydrope uteri approbat *Avicenna lib. 21. fen. 3. tr. 4. c. 27.* cum hâc tamen reſtrictione, ſi eâ indigeat ægra; indigere autem puto, quando ſcilicet à plethoricâ corporis conſtitutione, aut ſuppreſſione ſive menſtruali ſive hæmorrhoidali ſuos acquiſivit natales, itemq; ſi morbus in principio adhuc ſit conſtitutus,

Accommodari itaque poteſt V. S. hydropi uteri cum humoroſo, tum flatulento, conſentientibus *Ludovic. Mercat. de affect. mulier. l. 2. cap. 15. 16. Sennert. prax. lib. 4. part. 1. ſect. 2. cap. 10. 11. Roderic. à Caſtro de morb. mulier. lib. 2. cap. 19. 20. River. prax. med. lib. XV. cap. 12.*

Quanquam in delectu *Loci* nihil ſtabile, quod in ægrotantium utilitatem cedere poſſet; Venarum enim delectum tollit motus ſanguinis circulatorius. Ego tamen juxta veterum placita, venâ brachii, ſi à πληθώρᾳ & plenitudine; tali, ſi à ſuppreſſione, ſecundam exiſtimo.

Quantitas ex conſtitutione & circumſtantiis ægrotæ eſt ponderanda: præſtat autem in nimio non peccare, ne dum malo mederi cupimus, id augeamus, & è particulari hydropem univerſalem inducamus.

Cucurbitulæ ſcarificatæ non ſine efficaciâ Venæſectioni ſubſtitui poſſunt. Non ſcarificatam vero cucurbitulam cum multâ flammâ umbilico impoſitam egregiè in flatulento uteri hydrope ad diſcutiendos flatus juvare cum *Avicenn. l. cit. Riverius l. c.* & alii teſtantur, imò *Ludovicus Mercatus* l. c. Galenicam hanc vocat medendi rationem, ſi cucurbita magna bis terve ſine inſciſſione medio ventri affigatur. In hæmorrhoidum ſuppreſſione ad *Hirudines* confugiendum, quanquam alii judicent abſtinendum potius, niſi ſumma id exigat neceſſitas.

Cauteria & *Fonticuli* altero aut ambobus cruribus adaperta,

ut aquoſus humor paulatim inſtillando expurgetur, proficuum & ſummopere neceſſarium auxilium deprædicantur à *Ludovic. Mercat. l. c.* Contrariantem tamem habemus *Maſſariam lib. 3. prælect. academ. cap. 16.* qui in nullo hydrope hæc remedia convenire aſſerit, nec longâ ſuâ experientiâ & obſervatione unquam vidiſſe Cauterizationum ullam utilitatem, quin potius eâ adhibitâ certa ſubſecuta fuiſſe pericula, dolores, inflammationes, gangrænam, quandoq; ipſam mortē. An vero fonticuli juvamentum aliquod præſtent. *Magnus Sennertus lib. 4. part. 1. ſect. 2. cap. 11.* meritò dubitat; nec ipſe video, quomodo humor in cavitate uteri, & membranarum ejus interſtitiis vel etiam veſiculis utero adnatis concluſus, per hanc viam commodè evacuari poſſit.

Frictiones, tam ſiccæ, quam humidæ locum habebunt, meatus enim conniventes aperiunt, humores deſiccant, extenuant, atque diſcutiunt, ſudores plurimos eliciunt, atteſtante *Tralliano lib. 9. cap. 2.*

Paracenteſis generoſum alias & ſatis decantatum in hydrope remedium hic exulare videtur: ſiquidem materia nimis profundè ſita eſt, ut commode educi nequeat; Si vero in extremâ uteri membrana aqua ſit coacervata, tunc locum habere Paracenteſin *Franciſc. Joël. Tom. 4. pract. lib. 8. ſect. 1.* confirmat: honeſtamque matronam hydrope uteri correptam & per ſeptem menſes gravidam, cum nulla remedia ferret, Paracenteſi tandem curatam fuiſſe, brevique aquâ ſubtractâ convaluiſſe.

Ad aquam ex utero educendam, à quibusdam commendatur inſtrumentum Pharamundi Rhumelii.

CAPUT XI

pharmaca aſſumenda porrigit.

PHARMACIAM nunc aperimus, cujus beneficio humores quantitate peccantes per purgantia eliminantur, qualitate excedentes per alterantia corriguntur, viſceraque diſpertita & nativo calore ſpoliata roborantur. Ut autem rectâ incedam viâ, producere allubeſcit.

I. LE-

I. Lenientia *exſtercorantia* etiam & veteribus ab effectu *benedicta* cognominata, ἐκκοπρωτικὰ, quæ ſicuti ad ſaburram vitioſæ materiæ in primis viis delitescentis educendam in plurimis corporis humani ægritudinibus maximè commendantur; ita etiam in hoc affectu ad primam corporis regionem lubricitandam ſummis laudibus extolli merentur. Notæ in hoc genere ſunt variæ pilulæ lenientes aloëticæ, nec alia huc ſpectantia Practicos latent

℞. *arcan. duplic. Mynſ.* ℈ß.
crem. ♀. *gr. xv.*
elæoſach. aniſ. gr. viij.
m. f. pulvis. S. Lindpulver auff 2. mahl/ *manè & veſperi in brodio carnis.*

℞. *decoct. prunor. cum fol. ſen.* ℥ij.
ſirup. roſat. ſolutiv. ℥ß.
cinamom. ʒj.
f. potio manè in aurora ſumenda.

II. παρασκευαστικὰ Præparantia ſeu *Digeſtiva* lenientibus ſuccenturiantur, quo humores in corpore latentes ad eductionem habiliores fiant. Quamvis autem ſerum ſine præviâ coctione educibile ſit; in noſtro tamen affectu plerumque & alii humores conjunguntur, gratiâ eorum ſequens adornanda venit potiuncula:

℞. *Aq. cuſcut. agrimon. meth. ſalv. a.* ℥ij.
ſirup. de 5. radic. arthemiſ. a. ℥j.
eupator. abſinth. an. ℥ß,
miſtur. ſimplic. ʒj.
ſec. bryon. ari an. ℈j.
M. f. potio S. Præparir-Tranck auff 4. mahl.

III. Purgantia nunc ſequuntur, quæ varii ſunt generis. Quædam enim operationem exercent ἄνω quædam κάτω, quædam, quæ vacuantia quibusdam accuratius dicuntur, per διαφόρησιν, quædam per διούρησιν, quædam ſunt univerſalia, quædam particularia.

Τὰ καθαρτικὰ κάτω, ſ. *Purgantia propriè* dicta: In hoc affectu recommendant authores *gum. gottæ*, de cujus inſigni uſu *vid. Hechſteterum obſ. med. decad. 3. p. 179. 185. extract. elaterii, eſulæ, gialapii, ireos ſoldanellæ, gratiolæ;* item medicamenta ex ♁*na* præparata, ☿ *dulcis, purgans hydropicum Crollii, Arcanum corallinum Fabri; Electuar. hydragogon Renodæi,* ▽ *hydropica Dorncreil. Sirupus hydragogus Mynſ. acaciæ, perſicorum &c.*

Si vero inflatio uteri contingit à puerperio purgatio erit differenda, quod ſvadet *Sennertus l. c.*

Idem notandum quod per ἐπίκρασιν potius debeamus purgantibus uti, iisque non nimis validis, quin & ſemper roborantia & aperientia intermiſcenda eſſe. Commode his ſatis fiet ſequenti infuſo.

℞. *rad. 5. aperient. an. ℥ij.*
rub. tinct.
bryon. an. ℥iiß.
herb. ſabin. p. ijß.
puleg. matricar. meliſſ. artemiſ.
abſinth. ☿rial. an. p. iß.
flor. ſambuc. ebul. geniſt. an. p. j.
ſem. dauci, apii, aniſi fœnic. a. ℥ij.
cinam. nucis moſch. a. ℥iiß.
fol. ſenn. ſ. ſt. ℥j.
agarici rec. trochiſc. ℥iß.
ſem. cartham. contuſ. in pet. ℥ij.
gialap. nigr. reſinos. ʒvj.
⊖ ♀ri ℥ß.
Conciſ. contuſ. d. ad chart. S. ſpecies zu 3. oder 4. Kannen Wein/
poſt ſufficientem digeſtionem bibantur bis in die ℥iv.

℞. *extract. elater. ℈ß.*
gialap. gr. viij.
magiſt. gum. d. peru gr. v.
℈ hydragog. gr. iij.
c. elix. uterin. f. l. a. pilul. S.
Purgier Pillen auff 1. mahl.

Clyſteribus multùm quoque tribuitur: In utroque uteri hydrope conveniet ſequens:

℞. *herb. arthemiſ. matricar. rutæ mercurial. malv. an. Mß.*
ſoldanell. p. ij.
rad. cucum. aſinin. bryon. ireos an. ℥iij.
flor. chamomill. ſambuc. melilot. a. p. iij.
ſem. carvi. leviſtic. aniſ. apii. lini. fœn. græc. an. ℥iij.
baccar. laur. ʒvj.
caſtorei ʒj.
Coq. in ſ. q. ▽ ſimpl. Colatur.
℥x. add. & diſſolv.

℞. *electuar. bened. laxat. ℥j.*
hier. picr. ʒvj.
ſucci betæ, mercurial. a. ℥ß.
Ol. rut. aneth. a. ℥j.
⊖ gemm. ʒj. Miſc.
f. clyſter. applicetur ſecundum artem.

Καθαρτικὰ ἄνω ſ. *Vomitoria* multi diſſvadent, quoniam ventriculus hydropicis ſemper ferè ſit debilis; ſi tamen mulier facilis ſit ad vomendum, utiliter vomitus provocabitur, non ſolum

ad

ad revulſionem humorum ad uterum confluentium, verum etiam veſicularum, ſi adſint, ruptionem, prout judicat *River. l. c.*

Philippi Hechſteteri vomitorium, quo in hydrope cum ſingulari ephoriâ quondam uſus fuit, hic etiam recommendo, extat *obſerv. med. decad.3. p. 185.*

℞. ▽ *betulæ* ℥iij *ſpir.* ⊕ *gut.iij.*

in hanc infunde rhabarb. electi ʒ *j. manè coletur & exprimatur, in colatura diſſolv. gum. gemandr. gr. viij. ſirup. d. cinamom.* ʒiij. *Miſc. pro hauſtu.*

Hartmannus in Pract. Chimiatrica recommendat pilul. ☿iales emeticas.

Huc ſpectant alia ſive ſint Galenica, ut radix bryoniæ, aſar, ſummitates rut. ſambuc. flores anethi &c. Sive Chimica, ſuccinum ☿ii, ⊖ ⊕li, crocus metallorum, ☿ vitæ, aqua benedicta Rulandi &c.

Διαφορητικὰ ſ. Sudorifera hîc non ſunt prætereunda, ſed cum fructu nonnunquam exhibentur, horum enim beneficio humores aquoſi in utero & toto corpore diſcutiuntur & evacuantur. Uſum *theriacæ* in hydrope mirum extollit, ſæpe laudatus *Philipp. Hechſteterus l. c.* illamque magnitudine juglandis minoris cum vino generoſo per aliquot dies propinavit. Operatur non modo per ſudorem, ſed & ſimul roborat.

Laudantur præterea *bezoardica mineralia, præcipue* ♃*ale &* ☿*iale,* ♁ *diaphoreticum, ſales theriacales, trochiſci de vipera &c.* Inſtar omnium erit *decoctum ligni ſancti, chinæ, ſarſaparillæ,* adjectis ſimul ſpecificis aliis, ſudore in laconico per vices prolecto; hoc ſiquidem egregiè humores educit, flatus diſſolvit, ventriculum & uterum, ac univerſi corporis partes egregiè roborat. Plura inſenſibiliter vacuantia vid apud Practicos.

Externa præſidia veterum *ἱδρωτικὰ* erant *ψάμμωσις* ſ. uſus arenæ à ſole fervefactæ; *& ſepelitio in acervum frumenti* anteà ſub ſole calefacti, cum noſtris regionibus non ſint è more meritò negliguntur.

De *ingreſſu in furnum calefactum*, quod ruſticos facere aſſerit *Alex. Maſſar. lib.3. prax. cap. 16.* verendum ne contingat, quod quondam cuidam circulatori Helvetico, de quo *Graseccius d. e.*

am. microcoſm. l. 4. ſect. 21. §. 17. & puero cachectico à matre tabulæ affixo & in clibanum calentem immiſſo, annotante *Alex. Benedicto lib. 15. c. 16.*

DIURETICA quoque non fruſtrà propinantur, quippe quæ aptiſſima ſunt ſtagnantem in corpore aquoſitatem per vias urinarias educendi. His interdum ſubjungenda *emmenagoga:*

℞. *rad. apii petroſelin. fœnic. ruſc. a. ℥ij.*
herb. puleg. calaminth. leviſtic. a. p. ij.
ſem. dauci, mil. ☉is ammeos, lini a. ℨj.
Coq. in ſ. q. aq. violar. cuſcut. Colatur.
℞. ℥iv. *add. ſirup. de 5. radicibus* ℥j.
eſſent. lap. ♋ *g. vj.*
elæoſacch. ſabinæ ℈ß. *M. f. Potio S.* Harntreibender Tranck auff 1. mahl. *Poteſt iterari pro exigentia neceſſitatis.*

℞. ⊖ *junip. abſinth.*
geniſt. ▣ *volatil. a. g. vij.*
M. S. Urintreibendes Saltz auff 2. mahl.

Huc faciunt aquæ medicinales cum *Naturales*, ut ſunt acidulæ Egranæ, Swalbacenſes, & aliæ, itemque thermæ calidiores Carolinæ Hirſchbergenſes, Teplicenſes. ♀eæ, ⊕ſæ, vi enim pollent purganti ſeroſos humores, calefaciunt etiam & exſiccant, tùm *arte factæ* ex ♀ ⊕ ⊖ & alumine. Acidularum enim uſum utiliſſimum cenſet *Galen. 1. d. ſimpl. med. c. 7.* In uſu Diureticorum notandum, quod cum exercitatione & motu inſtituenda ſint, ſic quod in venis & corporis peripheria craſſum & frigidum hæret, calore diſſolvitur, & aqua quæ in utero continetur ruptis veſiculis penitus funditur.

Externè officium ſuum facient ad tumorem hunc uterinum diſcutiendum, ventrem relaxando & ſubducendo, *unguentum de arthanitâ majus, de ebulo, ſambuc. Balthaſ. Brunneri conſil. med. 52. Cataplasma. de cineribus Mynſ. ex rad. ireos, cucum. ſylveſtr. cum melle, & ſemine cumini.*

Emplaſtrum de ſtercoribus caprino, vaccino, columbino, de baccis lauri, quod inſignem prærogativam meretur.

Balnea, quæ laureola, gratiola, bryonia, cucum. aſinin. cum emollientibus carminativis, & ſpecificis uterinis ingrediuntur.

Si

Si ægræ *ſemicupium* placeat, tale poteſt parari:

℞. *Rad. bryon. cucumer. agreſt. an. ℥iß.*
herb. orig. calamenth. abſinth.
artemiſ. puleg. an. Mß.
flor. chamomill. roriſmar. melilot. a. p. ij.
ſem. dauci aniſ. fœnic. geniſt. a. ʒiij.
baccar. laur. juniper. a. ℥j.
Coq. in ſ. q. ∇ ſimpl. poſt coctionem peractam ægræ vaporem ſuper ſellam perforatam excipiat, idq; ſæpius reiterando.

Embrocationes fiant cum *Ol. rutæ & anethi* in flatibus juxta *Avicenn.*

Fotibus, cùm humidis, tùm ſiccis multum etiam peragitur.

℞. *farin. fabar. milii torrefact.*
furfur. ſiligin. an. ℥vj.
pulv. cymin.
ſpec. d. bacc. laur. a. ℥j.
ſummit. aneth. matricar. abrotan. flor. chamomill. a. ℥ij.
M. F. ſacculus, interpaſſandus, ventri applicandus.

Adminiſtrentur etiam inunctiones infimi ventris ex 🝆 irino, laurino, ebuli, liliorum, anethino, rutaceo, abrotani &c. addendo ſemper aliquid de ol. cinamomi.

His omnibus peractis non quieſcendum, ſed ad uterum propius accedendum. Hinc fiant

Injectiones mediante Syringâ μητρενχύτης dicta. Sennerto talis placet, & poteſt uſurpari in quâvis cauſa.

℞. *Rad. aſar. ʒiij.*
fol. puleg. calaminth. a. Mß.
ſabinæ p. j.
mechoac. ʒj.
ſem. aniſ. cumin. a. ʒß.
Coq. in ſ. q. aq. artemis colatur.
℥vj.
add. 🝆 ſambuc. irin.
an. ℥j.
M. F. Clyſter uterinus, qui injiciatur tepidè per vices cum metrenchytâ.

Peſſaria utero indita in extractione aquoſi & ſeroſi humoris præclaram præſtant operam. qualia ſunt, *ex ſucco mercurialis, cyclamine, eſula, nigella, colocynthide, elleboro* quæ conficiuntur. ſequens autem applicetur

℞. *ſucci ☿rial ℥jß*
pulv. cymini ℥ß
agaric. trochiſc. ʒj.
⊖ gemm. ℈ß
mellis q. ſ.

Coq.

Coq. ad conſumptionem ſuccorum in conſiſtentiam electuarii f. peſſus debitæ magnitudinis, involvatur panno ſericeo allegetur filo. S. Mutterzapffen *retineatur per noctem.*

Alex. Maſſarias peſſum ex *elaterio & contuſis caricis* paratum ſæpe cum fructu adhibuit.

Ellebori albi ℥ß lana exceptam & utero impoſitam, protinus plurimam aquam ex utero trahere quidam ferunt.

Suffitibus etiam uterus purificatur, factis ex *ladano, myrrha, aſa fœtida, nitro, gallia moſchat. Euphorb. lign. aloes &c.*

Notatu digna eſt hiſtoria Solenandri, quam recenſet *Lazarus Riverius l. c.* de ſuffitu nucis moſchatæ, mulieri flatibus uteri cum dolore laboranti, adhibito cum notabili adjumento.

Caput XII

alterantia & corroborantia largitur.

Ἀλλοιωτικὰ καὶ τονικὰ partium tam mandantium, quam recipientium intemperiem virtute contraria corrigunt ac emendant; & quia hîc uterus enormiter à ſuo temperamento deflectit, idem rurſus reſtituendus venit per calefacientia & ſiccantia appropriata.

Theriacam & Mithridatium in hoc malo ſingulariter commendant, ſi ſingulo manè ʒij cum ℥ij vini aut ▽ cinam. cum aliquod gutt. ☍ aniſ. cinam. macis &c. ſumantur.

Ex uſu quoque erunt ▽ vitæ mulierum, quas deſcribit *Sennertus, Mercatus,* & alii. In flatibus præcipue laudatur ▽ hyſterica *Zacut. Luſitan. pharmac. p. 102.* ▽ hyſterica *Magnif. Rolfincii,* balſam embryon. ejusdem.

℞. *conſ. roſmar. arthemiſ. ſalv. a.* ʒiij.
tunic. fl. meliſſ. bugl. a. ʒjß
cortic. aurant. citri condit. a. ʒv
ſpecier. diacalaminth. diacymin. diacinam. a. ʒß
dia ♃ *Mynſ.* ℈j
theriac. Androm. ʒiß
ſaccar. in ▽ *meliſſ. ſolut. q. ſ. f. l. a. morſuli illinantur Ol. aniſ angel.*

angel. a. g. vij. cinam g. iij. macis g. v. d. in ſcatula. S. Stärckende Mutter Morſellen.

℞. *ſpec. dianiſ. diagalang. an.* ℥j.
ol. angel. cinam. caryophyll. macis a. gtt. viij.
ſaccar. alb. ℥iiij. *in △ carminativ. Dorncrel. q. ſ. ſolut. f. rotulæ S.* Küchlein wieder die Blehung der Mutter.

℞. *△. vitæ albæ mulier.* ℥ß.
zedoar. artemiſ. puleg. a. ℥j.
eſſent. caſtor. ʒiß.
ſirup. corallor. menth. a. ℥ß.
ſpec. diamargar. calid. ℈j.
tinct. corall.
ſpir. lignor. a. ʒij. *M. f. potio.*

S. ſtärck tranck *ante cubitum ſumatur cochlear j.*

Plura remedia, tam ſimplicia, quam compoſita convaſare non placet. Conſulantur ſæpius nominati autores.

Externè per balnea, fomenta, emplaſtra &c. idem ſcopus obtineri poterit.

Contra inflationem uteri hoc ſvadet linimentum epitomator Riverii *Verzaſcha. l. 15. c. 11.*

℞. *ol. nardin. menth. abſint. a.* ℥iij.
unguent. reſumpt. q. ſ. f. linimentum quo uteri regio tepidè illinatur.

Epati & reliquis viſceribus ſi proſpicere volumus, ad eorum ſpecifica deſcendendum, ne autem in his prolixus ſim, unum vel alterum ſaltem apponam, quibus epati ſuccurrere queamus. Reliqua practicorum ſpatioſiſſima viridaria ſuppeditabunt.

℞. *conſ. abſinth. pontic. eupator. Meſ.*
ſalv. agrimon. a. ℥ß.
elect. de paſſul. chalybeat. an. ℥iij.
ſpec. diarrhod. abbat. diacurcum. a. ʒj.
ſirup. corallor. Quercet. q. ſ.
elæoſacc. acor. cinam. a. ℈j.

M. f. electuarium. S. Stärckende Leber lattwerge. *doſis magnitudo caſtaneæ nucis.*

℞. pulv. cachect. ℥ij.
ſpec. diacurcum. dialacca a. ℥j.
croci ♂ aperit. ʒß. *M. f. pulvis. S.* Leber Pulverlein.

Cum dolor interdum urgeat, anodynis mitigandus: ad uteri dolorem ab hoc affectu *Amatus Luſitanus* commendat interne 🜄. vel decoctum chamomillæ ad ℥iv. vel v.

Caput XIII
diætam ordinat.

QUod medicamenta non valent, præſtat interdũ DIÆTA, quæ adeo neceſſaria eſt, ut hâc ſolâ fere præſerventur ægri.

Hydrops autem uteri, cum ſit morbus frigidus & humidus, diæta ex aſſe contraria ut ſit, neceſſe eſt, quoad.

VITALEM, *aër* moderatè calidus ſit ad ſiccitatem vergens purus item & ſincerus: ſi deficiat talis naturalis, corrigatur ſuffitibus ex aromatibus & reſinis convenientibus.

NATURALEM, *pro cibo* eligantur quæ facilis coctionis, non ſalſa, nec flatus gignentia: panis condiendus cinamomo, aniſo, carvo. Carnes laudantur magis aſſæ, fercula apio, petroſelino, pulegio, majoranâ, paſtinacâ & ſimilibus medicata offerantur.

Potus admittatur pauciſſimus, quia curatio hydropis potiſſimum conſiſtit in abſtinentiâ à potu. Exemplum refert *Maſſarias l. 3. prax. c. 16.* de ruſtico quodam hydropico, qui per annum integrum ab omni potu abſtinuit, & priſtinæ ſanitati reſtitutus fuit. Si vero ſitis urgeat, medicus ægræ potum ita religioſè non denegabit.

ANIMALEM. *Motus & exercitatio* moderata præcedant cibum: præſtat tamen interdum violentioribus uti, ſi vires ferant: hoc modo facile rumpi poſſunt veſiculæ humorem continentes. *Rhaſes lib. d. mirab. curis in medic.* mulieris hydropicæ meminit, quæ poſtquam aliquando fortè ceciderat, per vulvam emiſit viginti quinque cotylas aquæ croceæ, & convaluit. Idem de alia recenſet *Benivenius lib. de abdit. ſanat. & morb. cauſis.*

Somno nimio non indulgendum, ſed moderatus ſit & commodè inſtituatur ratione temporis, decubitus, ſitus & loci.

D

De *Vigiliis* par eſto judicium.

Excernenda & *retinenda* ritè tractentur, *alvus* quotidie moneatur officii, quod niſi fecerit, lenientibus irritetur. Menſes & hæmorrhoides ut fluant proſpiciatur.

Veneri certo reſpectu licebit litare

Animi Pathemata præter gaudium exulent.

Atque ita colophonem imponimus diſcurſui huic inaugurali, non dubitantes, quin præcipuè, ſi Deus adfuerit, viresque infuderit herbis, dicta ratione & modo gravisſimus uteri hydrops amoliri queat. Cordate lector, ut adſis tuo calculo jam eſt, quod flagitem.

Sacro ſancto autem Tuo Numini, Veneranda Trias, immortales debeo grates, quod divino tuo auxilio mecum cohabitare & laboribus meis benedicere non abnuiſti. Exere ulterius divinam tuam clementiam in me adjuvando, gubernando, ſanctificando, & lingua in me erit nulla, quæ te non laudibus ornet honoribus afficiat, gloriaque celebret ſempiternâ.

CLARISSIMO

LAURENTIO,

Philoſophiæ Magiſtro,

pro

LICENTIA

ſummum in medicinâ adſumendi gradum, cathedram aſcendenti Pœoniam

ΑΞΙΟΣ!

adclamat

GVERNERUS ROLFINCIUS

Ph. Med. D. P. P. Academiæ

Senior.

NAtura cùm primum te in auras
ederet,
gratæq; lucis ſplendidam uſuram
daret
Oculis tenellis hauriendam: dixerim
voviſſe, nomen ut tuum doctos viros
radiaret inter, & perenne in pectore
animis-

animiſque clarum viveret mortalium;
Felix ſies: & pluribus mortalibus ſaluti, & omnibus tuis ſolatio.

EST abſtruſa mali matricis cauſa ſeroſi
Et via, qua penetrant flumina ſalſa thorum.
Attamen his ſpretis naturam diſcutis alter
Oedipus & medicam jungis utrique manum.
Gratulor ex animo pulcrum pro more laborem,
& precor, inceptum fama coronet opus.

Nobili Clariſſimoque Dno. Doctorando de novis honoribus animitus gratulatur

Joh. Theodorus Schenck M. D.
Prof. P.

SIc medicas noſter, noſtris dilectus in oris,
LAURENTI, gaudes artes ornare; ſophiæ

 Altius

altius & medicæ conaris templa levare.
Ingenio magnus ſtudes revocare ſubinceps
umbras in vitam, ac animum mutare laboras
cum cœlo, hoc ipſum ſcriptum teſtatur abundè.
Quod verum dico ſubſcribunt munera mentis
calcula; Dum perdoctè de Hydrope diſſeris, ipſe
gratulor & calamo ſcriptum gaudente ſaluto,
Hydropicum. Dignus longævam vivere vitam,
ut vigeat nomen ſemper laus, gloria, fama.

Novos honores omnium felicium ſucceſſuum feraces exoptat.

PRAESES.

VIRO

VIRO
Nobiliſſimo & Experientiſſimo,
Domino
JOHANNI HEINRICO
LAURENTIO,
Philoſ. Doctori Clariſſimo,
Fautori, Amico & Hoſpiti meo mihi in
primis dilecto & honorando,
Cum is,
Studiorum ſuorum acerrimo curſu feliciter
abſoluto,
Præpuisque Germaniæ Academiis magno cum
emolumento ſuo viſis,
ad SUMMUM in Arte Medica HO-
NOREM cum plauſu Salanæ con-
tenderet, l. mq;. hoc

* * *

SAcra DEO *hæc* Laurus! Procul hinc,
procul ite profanum
Vulgus, *Apollo* VIRO Lauriger ipſe
præeſt.

qualecunq; officium
præſtiti
GEOR. GOEZIUS, P.P.

FINIS.